



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

# **R.P. Richardi Lyncei ... Vniversa Philosophia Scholastica**

Complectens Dialecticam, siue Scientiam de Veritate, in decem libros  
distributam

**Lynch, Richard**

**Lvgdvni, 1654**

III. Quædam de vniuersalibus dubia.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95210](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95210)

quam non multiplici, cum vtrumque obiecto extrinsecum sit: Sicut autem intellectus res sibi representat, ita voluntas se rebus representat, in eaque fertur, iuxta vulgare dictum, *anima magis est ubi amat, quam ubi auisat.*

28 Secundo cenſeo, Angelos efficere poſſe vniuerſale ſiue, quod perinde eſt, eos cognoſcere poſſe rationes cōmunes, ſine particularibus, illasque ab his abſtrahere. Suadetur primò, quoniam eſt Angeli plura euidenter cognoſcant, non eſt certè, cur ea ſemper in ſingulari non eſt, cur non aliquando in communi ita percipiant: haud ſecus, atque nos non tantum quæ opinatiuè, vt ſic dixerim, ſed quæ ſcientificè conſequimur, in communi intelligimus: imò omnis ferè ſcientia noſtra eſt de vniuerſalibus. Atque per ſcientiam Angelorum propriam fieri ab eis interdum vniuerſale, tuetur Suarez lib. 2. de Angelis cap. 8. quamuis eum cognoſcendi modum circa res, quarum habent proprias ſpecies, quaſque cognoſcere poſſunt vt ſunt in ſe, ac diſtincte, & in ſingulari putet non eſſe neceſſarium, nec ordinariè eis contingere. Idem ſentire videtur Valencia de Angelorum ſcientia tom. 1. p. 1. diſp. 4. quaſt. 8. punct. 2. docet enim ibi vi ſpecierum euidentium, ac propriarum, quas Angeli initio creationis ſuæ ſunt ſorti, poſſe eos, non ſolum ſingulare vt tale, ſed etiam naturam formaliter, & præcindo ab omnibus ſingularibus cognoſcere: quin etiam Scotus, & alleclæ id ſemper vſu venire putant, nec, niſi per ſpecies acquiſitas eos percipere ſingularia quatenus talia.

29 Secundo ſuadetur eadem aſſertio: nam, vt oſtenditur à nobis in metaphyſ. lib. 7. tract. 4. cap. 4. & lib. 10. tract. 2. vtque docet P. Suarez lib. 2. de Angelis cap. 3. num. 19. & cæteri cum eo Scholaſtici, negandum non eſt, quin Angeli multa confuſè, & ineuidenter cognoſcant, vt myſteria ſupernaturalis fidei, res contingenter futuras, & ſecreta cordium. Cur igitur iſta non poſſint in communi, & ſeorſim à ſingularitatibus cognoſcere? Certè P. Suarez citato lib. 2. de angel. cap. 8. num. 11. parum ab initio ſtatuit, *abſoluè non repugnare, imò neceſſarium eſſe, ralem cognitionem* (ſcilicet vniuerſalem, & confuſam) *in angelis ponere de obiectis communibus, qua diſtinctius cognoſcere non poſſunt.* Tertio ſuadetur id ipſum: quia tametsi Angeli eius cenſeantur perfectionis, vt nihil non clare, & in ſingulari naturaliter cognoſcant (quod neſcio, qua probabilitate fingi poſſit:) certè non propterea vis efficiendi vniuerſale debet eis negari. Si quidem vt ad cognitionem claram, & intuitiuam ſibi non connaturalem, videlicet beatificam euehi poſſunt, quidni etiam deprimi ad cognitionem aliquam vniuerſalem, & confuſam, ac rationum communium à particularibus præciſiuam?

30 Tertio opinor, Deum efficere vniuerſale per notitiam comparatiuam, & reflexam, cognoſcendo nimirum obiectum aliquod vniuerſale à nobis factum tale, eſſe vnum extrinſecè ſolum, & intrinſecè, ac ſponte ſua multiplex. Ita ſtatutum eſt à nobis tract. 5. præc. cap. 13. aſſert. 2. Cæterum vt inibi dictum eſt, vtque docet Arriaga citata diſput. 6. log. ſect. 8. num. 49. ad finem ſatis probabile eſt, Deum ne ita efficere vniuerſale, defectu nimirum confuſionis, & obſcuritatis in actu, per quam comparat. Quarto dicendum cenſeo intellectum diuinum haud poſſe facere vniuerſale directè, & per abstractionem. Id enim eſſet cognoſcere naturam communem ſine ſingularitatibus, & has confundere inuicem, atque imperfectè cognoſcere: quod quis à Deo procul eſſe non fateatur.

P. Lyncei Philoſophia Tom. I.

Enimverò, ſi ſermo ſit de Deo, non ſecundum ſe, ſed de illo factò homine, ſiue quod perinde eſt, de Chriſto Domino, dicendum eſt, eum per cognitionem diuinam, vt oſtenſum eſt, haud facere vniuerſale, haud etiam per ſcientiam beatam, quæ eſt huius perfectio, & tum Dei, tum etiam creaturarum in ſingulari aſſectio, vt exploratum eſt. Quod verò attinet ad eius ſcientiam per ſe inſulam, & ſupernaturalis ordinis, quoad ſubſtantiam, qua etiam in hac vita ſine conuerſione ad phantasmata cognoſcebat, illius vi eum exiſtimo, & tum potuiſſe, & modò poſſe, ſi velit, cognoſcere res aliquas in communi, & vniuerſalia efficere, ſicut de Angelis ſuprà diſputauimus: Oppoſitum tuetur Balthazar Tellez in log. diſput. 4. ſect. 1. à numero. 22. nihil tamen aſſert, quod me iudice vigeat.

32 Quod denique ſpectat ad ſcientiam Chriſti naturalem quoad ſubſtantiam, ac tantum per accidens inſulam, necnon acquiſitam, certè per eam in hac vita dum fuit, potuit, & in altera modò potest efficere vniuerſalia non pauca: ea ſiquidem eſt eiuiſdem ſpeciei cum noſtra, vt docent B. Thom. 3. part. quaſt. 9. art. 4. & quaſt. 12. art. 1. & 2. Vaſquez etiam 3. part. diſp. 5. cap. 2. Suarez 3. quoque part. diſp. 25. ſect. 2. & diſput. 30. ſect. 1. & communiter alij Theologi. Nec video, quid obſtet huic deciſioni, niſi fortè, ſi quis renuat, ſcientiam acquiſitam Chriſti, aut alterius hominis in patria manere: at quod maneat, eſt ſententia communis, ac recepta Doctorem, inter quos vide, ſi lubet, Patres Salas tom. 1. in 1. 2. tract. 2. diſp. 6. ſect. 8. ac Balthazarem Tellez part. 1. 2. ſummæ philoſophicæ diſput. 4. ſect. 1.

### CAPVT III.

#### Quædam de vniuerſalibus dubia.

33 Quæ reſolui oportet, tum ad huius tractatus, tum etiam ad totius libri complementum. Dubitari ergo poteſt primò, an inter vniuerſale, & ſingulare in intellectu noſtro ſit dare medium, ſiue quod perinde eſt, an intellectus noſter cōcipere poſſit aliquam naturam, quæ provt ab eo concepta, nec ſit ſingularis, nec vniuerſalis? Reſpondeo, ſi ſermo ſit de natura creata v.g. humana, non poſſe naturaliter, ac poſſe diuinitus, ac per miraculum. Prior pars ſuadetur: quia intellectus noſter vel concipit collectionem humanitatum omnium; & hæc confuſè concepta eſt vniuerſalis: vel hanc numero humanitatem, ſiue humanitatem ſingularem, vt talem; & hæc ſingularis eſt, provt ita concipitur: vel ſolam humanitatem Petri v.g. præcindo ab eius ſingularitate, quæ Petreitas nuncupari conſuevit; & hic concipiendi modus ſemel admiſſus ſufficit ad ſtatum medium in intellectu noſtro: cæterum admitti nequit in nobis ex natura rei, ac ſecluſo miraculo: nam, cum vna natura humana ſit alteri omninò ſimilis, non poteſt naturaliter abique altera concipi abſtrahendo ab hæcitate, ſiue ſingularitate vtriuſque. Quod amplius confirmatur primò: quoniam vna humanitas ab alia forma liter differt per ſolas hæcitates: ergò etiam quoad nos differre, inuicemque ſecerni non poterunt, niſi earum hæcitates nobis innotescant: Secundò, quia licet priori quodam ſigno ad vnitatem numericam, & indiuidualem vna humanitas ab alia differat,

virtute saltem, per vnitatem mediam, ac virtutalem vnicuique propriam, tamen hæc vnitatis, & , quæ ex eius repetitione confurgit, multiplicitas, ac distinctio virtualis humanitatum tenuissima, & minima est, ac proinde insufficientis, vt supposita aliunde summa earum similitudine reali altera possit ab altera discerni, naturaliter vtrique, ac sine miraculo admodum, quo punctum ratione suæ tenuitatis ab alio puncto discerni aut sine eo videri non possint.

34 Posterior pars nostre sententiæ suadetur; quoniam reuera vna humanitas præscindendo ab omni singularitate distinguitur ab alia quavis humanitate, sive minus realiter, ac numericè, ac saltem virtualiter: ergo ad minimum diuinitatis, ac miraculose sine altera cognosci potest: aut prout ita cognita non est singularis, eo, quod eius singularitas lateat, nec vniuersalis; eo, quod non sit multiplex, sive pluralis. Et quidem, etsi Hurtadus disp. 3. metaph. sect. 9. statum hunc naturæ humanæ medium, & in quo, nec sit vniuersalis, nec singularis omnino impossibilem esse censet; ceterum contrarium est B. Thomæ opuscul. de natura generis cap. 7. Caietan. de ente, & essent. c. 4. quæst. 6. Socinatis 7. metaph. quæst. 40. Iauelli lib. 8. metaph. quæst. 13. & Patris Suarez tom. 1. metaph. d. 6. sect. 1. hi enim authores docent, naturam humanam, v. g. habere vnitatem formalem, vel si non placet, hæc nomenclatura, virtutalem, ratione distinctam ab indiuiduis, in iisque multiplicabilem: humanitatem itaque Petri v. g. seorsim à quavis alia habere suam vnitatem formalem distinctam ratione à sua singularitate, & similiter humanitatem Pauli, &c. harum ergo humanitatum quavis sine alia iuxta eos concipi poterit, quippe à qua distinguitur realiter, & etiam sine sua singularitate, vt pote à qua saltem ratione distinguitur: prior autem præcisio vetat, ne sit vniuersalis in intellectu nostro; posterior verò, ne singularis: ergo media iuxta eorum authorum doctrinam.

35 Porro, si sermo sit de natura, non creata, vt hæc tenus, sed increata, & infinita, dubitationi respondendum est, etiam naturaliter, ac circumscripto quouis miraculo statum medium superius explicatum Deo conuenire posse in mente nostra. Si quidem Deus ab vnitatis numerica, ac singulari per nostrum concipiendi modum imperfectum præscindi potest, ac solet, cum plures admissa eius infinitate circa eius errant, hodièque errent vnitatem: rursus à multiplicitate toties præscinditur, quoties verè cognoscitur: ergo ab vnitatis, sive singularitate, ac simul etiam à multiplicitate naturaliter abstrahi potest. Quod vltèrius suadetur: nam quamuis omne ens re ipsa debeat esse vnum, aut multiplex, ac per intellectum abstrahitur ens, vt sic, ab vnitatis, ac multiplicitate, vt certo certius: licet ergo Deus à parte rei, quod aiunt, nequeat non esse vnus, vel multiplex, singularisve, aut pluralis, ac per intellectum concipi potest sine vnitatis, ac multiplicitate: ac proinde in statu medio.

36 Secundò dubitari potest, cur vniuersale intentionale potius per intellectum, quam à parte rei dari dicatur, quandoquidem eius vnitatis ab intellectu, & multiplicitas à re ipsa prouenit, adeoque partim à parte rei, vt aiunt, partim per intellectum reperiri videtur? Respondeo, sicut homo dicitur iustus per gratiam, & non per naturam, isque loquendi modus sanctis Patribus, ac Theologis est

solemnis, non quia ad eam denominationem natura non requiratur, eamvè non constituat, sed, quia eius forma est gratia, quam Deus liberaliter infundit, ita vniuersale intentionale, ac prædicabile dici potest esse per intellectum, non à parte rei, non, quia multiplicitas realis, & à parte rei se tenens ad eam denominationem non requiratur, eamvè non constituat, sed, quoniam eius forma vltima est cognitio confusa, quæ existit per intellectum, & non à parte rei, sive independentè ab intellectu: hæc enim duo perinde sunt apud omnes in præsentiarum. Hinc aliter occurro dubitationi, ac respondeo. Negatio est malignantis naturæ, vt est in proverbio, totumque destruit: vnde, vt vniuersale intentionale sit à parte rei, sive independentè ab intellectu, opus est, vt tum eius multiplicitas non dependeat ab intellectu: aut eam independentiam habet sola eius multiplicitas, non verò vnitatis: absolute ergo dici non poterit eiusmodi vniuersale esse à parte rei, sive ab intellectu independentè: at esse per intellectum, est affirmatio, non verò negatio: proinde merito solius vnitatis conuenire poterit vniuersali.

37 Tertio, & vltimò dubitari potest, & solet, an vniuersalia sint entia realia, corporea, substantiaria, & non accidentalia, æterna, qualisq; causas habeant: Cui dubitationi, vel potius dubitationum siluulæ respondeo, vniuersalia logica, ac prædicabilia, de quibus solis sermo, pro formali semper esse entia realia, videlicet actus intellectus, & pro materiali nonnunquam esse corpora, nonnunquam spiritus, interdum entia realia, interdum rationis, quandoque substantias, quandoque verò accidentia, aliquandò temporalia, & mutationibus obnoxia, & aliquando æterna, & immutabilia.

38 Dicuntur verò ab Aristotele, & interpretibus entia rationis, & non realia, eò quod ab intellectu fiant, non, quod sint chimæra, aut impossibilia necessario: item incorporea, non verò corpore prædita, ac materialia, non, quod ista multoties vniuersalium rationem non obtineant, sed, vel, quia eorum formæ solent esse cognitiones spirituales intellectus nostri, vel, quia incorporeum, ac spirituale dici, ac definiri solet, inuisibile corporis sensibus: tale autem quodammodo est vniuersale quoduis, etiam materiale: nam, cum complectatur plures res non existentes, nullo sensu externo ex natura rei percipi potest, & iuxta plerisque Doctorum nullo etiam interno. Dicitur quoque solent vniuersalia esse accidentia, non vero substantiæ, non, quod hæc vniuersalium denominationem non induant, sed, quod substantiæ vniuersales, ac secundæ comparatione primarum, ac singularium non mereantur appellari substantiæ, earumque potius respectu sint accidentia quodammodo: nam substantia dicitur à substando: indiuiduum autem omne substans gradibus superioribus, sive substantiis vniuersalibus, Petrus, v. g. homini, animali &c., & non è conuerso: item accidens ab accidendo deriuatur: accidit autem homini, quod contrahatur per Petrum magis, quam per Paulum: at Petro haud accidit, quod sit homo, animal, viuens &c. his ergo de causis vniuersalia, licet alioqui sint pro materiali substantiæ, dici consueverunt, non tales, sed accidentia lato quodam modo. Dicuntur autem æterna, & immutabilia quoad tempus, nec non etiam quoad locum, non positivè, sed præcisivè, quoniam videlicet ab omni mutatione temporalis, ac locali præscinditur natura communis, vt rectè B. Thomas 1. part. quæst. 16. art. 7. ad secundum inquires *aliquid esse*

esse semper, & ubique, potest intelligi dupliciter. Vno modo, quia habet in se, unde se extendat ad omne tempus, & ad omnem locum, sicut Deo competit esse ubique, & semper. Alio modo, quia non habet in se, quo determinetur ad aliquem locum, vel tempus, sicut materia prima dicitur esse vna, non, quia habet vnâ formam, sicut homo est vnus ab vnitare vnius forme, sed per remotionem omnium formarum distinguendum, & per hunc modum quodlibet vniuersale dicitur esse ubique, & semper

in quantum vniuersalia abstrahuntur ab hic, & nunc.

Quod attinet ad causas vniuersalium, efficiens, est intellectus, si de potissimis sermo sit: sin autem latius sumantur; præter intellectum, voluntas, sensus, ac facultas etiam eloquutiua, vt superius ostensum: formalis; actus harum facultatum omnium: materialis; res cognita, aut aliter intentionali modo tacta: finalis denique; vel ipsa cognitio, volitio, sensio, loquutio, aut aliud in quod eas voluntas dirigat.



# LIBER NONVS

## De prædicabilitate Veritatis.

### TRACTATVS I.

#### De prædicabili in communi.

#### CAPVT I.

An Prædicabilitas sit essentia, vel potius sola passio vniuersalis.



VAMVIS plerique cum Porphyrio prius de prædicabilibus in particulari, quam in communi differant, aliud tamen postulat recta methodus, quam sequi animus est. Præmitto ergo primò, prædicabilitatem aliam esse proximam, qua intellectus ad naturam communem de inferioribus prædicandam est omnino expeditus: aliam remotam, quæ cum aliquibus impedimentis, seu cum defectu aliquorum prærequisitorum ad actualem prædicationem coniuncta esse potest: exemplum huius posterioris habes, quando intellectus apprehendit rationem communem hominis, v. g. sed destitutus apprehensione inferiorum, de quibus eam enunciet: illius vero prioris exemplum quando, & rationem communem, & partes ei subiectas simul apprehendit, sicut ad illam de his prædicandam oportet. Præmitto secundò, vniuersale aliud esse Logicum, aliud Metaphysicum, aliud per intellectum, aliud per voluntatem, sensum, aliasque facultates lib. super. enumeratas. Præmitto tertid, essentiam aliam esse metaphysicam, quæ cum re, cui essentialis est, realiter identificatur: aliâ logicam, quæ cum ea etiâ ratione identificatur. Quorum nominum ea est origo, quod logicæ proprium sit, considerare identitatem, ac distinctionem rationis; metaphysicæ vero, non illam, sed identitatem ac distinctionem realem, cum ente reali ei subiecto coniunctas, vtramque, inquam, magis, aut minus ex professo, iuxta diuersos auctores: proinde essentia logica iure dicitur, quæ ratione; & metaphysica, quæ re ipsa, intrinseca, & eadem est ei con-

ceptui, quem essentialiter afficit. Alios essentialiter modos tract. 3. cap. 2. discutiendos in præsens missos facio, quod ad nostrum institutum nihil referunt.

His statutis adstruo primò: prædicabilitas non est vllatenus de essentia, vel metaphysica, vel logica, aut quod perinde est, reali, vel rationis, quorundam vniuersalium. Probatur primò: quoniam vniuersale fieri potest per sensum, vt secundo loco præmissum, & lib. sup. latè probatum: at de essentia etiam metaphysica, & reali huius vniuersalis non est prædicabilitas: ergo. Minor probatur: quoniam nequit esse vllatenus essentialis actus primus, cui secundus repugnat, veluti si homini discursus actu secundo repugnaret, ei ratio discursui essentialis esse nequiret: sed vniuersali per sensum quatenus tali præcisè, repugnat actu secundo prædicari, quæ est sensus imperfectio, & ad prædicandum, atque vnum de alio affirmandum impotentia: nequit igitur prædicabilitas ei vllatenus essentialis esse.

Dices, vniuersale per sensum esse essentialiter prædicabile, non vi ipsius sensus, sed vi intellectus, cum quo coheret, & cui subseruit, sicut verum, siue bonum verè cognitum provt tale est essentialiter amabile, non virtute facultatis cognoscitiuæ provt talis, sed virtute facultatis volitiuæ, cum qua prior illa suapte natura connectitur. Contrà primò: nam vniuersale per intellectum prædicari nequit, quin per intellectum fiat, aut cognoscatur, vt est euident: at vniuersale per sensum, provt præcisè tale, & seorsim à quouis eius ad aliam potentiam ordine factum, non efficitur, nec cognoscitur ab intellectu; ergo vniuersale sensibile ea ratione vsurpatum non est prædicabile: sed ea, & non alia ratione à nobis in præsentem vsurpatur. Contrà secundò: quia vniuersale per sensum belluinum, nec per se, nec per intellectum prædicari potest, cum sensus belluinus cum intellectu coniunctionem nullam habeat: at nos non minus de hoc vniuersali, quam de quouis alio, sensibili loquimur. Exemplum contrarium parum vrget: quemadmodum enim dicimus vniuersale per sensum provt eiusmodi duxerat, non esse essentialiter prædicabile, seu logicè, seu metaphysicè, seu re, seu ratione, quoniam id esset, sensum posse prædicare, aut affirmare, ac iudicium proferre,